



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...**

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum  
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In  
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et  
Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Daleth. Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem:  
omnes portæ ejus destructæ. Thr. 1. v. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)



## DISCURSUS VII.

Daleth.

Via Sion lugent, eò quòd non sint, qui  
veniant ad solemnitatem *Thren. i. v. 4.*

## DE ECCLESIA.

*Luget, quòd inter omnes Christianorum status  
tam pauci sint, qui per viam virtutum ad  
sanctitatis solemnitatem veniant.*

l.  
Matt. c.  
22. v. 2.

*Ecclesia  
est v. gnū  
celorum.*

*Glossa  
Interl.*

**R**egnum cœlorum simile factū est homini Regi, qui se-  
cit nuptias: filio suo testa-  
tur Veritas æterna; Et  
ille quidē misit servos suos vo-  
care invitatos ad nuptias, hi ta-  
men, licet iteratò vocati, neg-  
lexerunt venire, ad sua quique  
commercia distracti: inter  
quos aliqui magis temerarij, &  
ingrati, tenuerunt servos ejus,  
& contumeliis affectos occi-  
derunt. Regnum cœlorum,  
Præsens Ecclesia dicitur, teste glos-  
sa Interlineari, cui Pater æter-  
nus festivam instituit solemni-  
tatem, dum per Incarnationis my-  
sterium Ecclesiam Filio copulavit.  
Ad hanc solemnitatem Deus  
non tam populum Judaicum  
per Prophetas prænuntios In-  
carnationis, quàm gentes per  
Apostolos suos & Evangelicos  
Prædicatores vocavit. Major  
Judæorum pars non tantum ad  
solemnitatem comparere recu-  
savit, sed etiam servos ad se  
missos malè excepit, & vulne-  
ravit, nec melius servi, & de-  
legati Concionatores à genti-  
bus excepti, quæ sanguineis  
persecutionum procellis adi-  
tum Ecclesiæ penitus præclude-  
dere videbantur, licet ex mira  
divinæ providentiæ dispositio-  
ne ex ipso copioso Martyrum  
sanguine, exitus viarum largius  
fuerint aperti inducendis gen-  
tium populis, qui demum in  
tanta confluxere copiâ, ut im-  
pleta

*Nuptia  
cum Chri-  
sto per In-  
carnatio-  
nem.*

pleta fuerint nuptia discumbentium, & quemadmodum in principio, via Sion, & militans Ecclesia lugere, eò quòd non essent, qui venirent ad solemnitatem, ita demum videbatur exultare, dum filios suos, & de longè venire, & de latere surgere turmatim, conspexit: adeòque via Sion gaudent, quòd tanta filiorum copia veniat ad solemnitatem. Verùm quidem est, quòd multi ad Ecclesie sinum veniant, quòd multi undique inveniantur Viatores Christiani, sed non ambulat per vias Sion ad solemnitatem; Per has vias intelligit Cornelius *virtutes: Hæ lugent, quia ab hominibus desertæ, & neglectæ sunt.* Ut verè illis Isaia verbis uti possit Ecclesia: *Multiplicasti gentem, non magnificasti heritiam, quia summopere multiplicato Christianorum numero, paucissimi tamen ex omnibus Ecclesie statibus sunt, qui cum Zelo, & ardenti perfectionis studio per vias virtutum ad solemnitatem sanctæ vitæ properent, eamque attingant.*

II. Multos invenimus urbiù & populorù institutores; Mercurius Trismegistus instituit Ægyptios, Feroneus Græcos, Lycurgus Lacedemonios, Solon Athenienses, Numa Pompilius Romanos, hi omnes, viros vel fortes, vel sapientes & doctos

fundare intendebant. Fundavit & suam Christus rempublicam & Regnum, militantem scilicet Ecclesiam, in hac civitate & fideles suos, non doctos, non nobiles, non divites, non sapientes, non facundos & Philosophos, sed sanctos fieri instituit, eosque per vias Sion ad solemnitatem venire desiderat. Unde benè advertendum, quòd cum Christo Ecclesia non luget, eò quòd non sint, qui veniant, sed quòd non veniant ad solemnitatem. Et quidem, teste glossa ordinaria, *solemnitas ejus, est vitæ celestis imitatio contemplatio, sed nò sunt, qui veniant ad solemnitatem affectus, sed pleno affectu ad virtutes & perfectiones sanctitatis applicet:* Hinc in tanta à Christo institutâ solemnitate, sola videtur sedere Ecclesia, *propter paucitatem bonorum* (glossatur Hugo) *licet plena populo, propter multitudinem malorum.* Hoc ergo est, quòd in præsentem deplorat Ecclesia, quòd in tanta multitudine filiorum tam pauci reperiantur ex omnibus statibus, qui ad solemnitatem sancti affectus, & vitæ perfectæ accedant.

In primitiva Ecclesia magno cum ardore viam virtutis terebant Christiani, exultantes instar gigantum ad currendam viam perfectionis. Erat tunc plena populo sancto Ecclesia,

H 2 flore.

*Christus suos non vult doctos, sed sanctos.*

*Glossa Ordin.*

*Hugo hic v. 10.*

*III. Olim abundabat sanctus Ecclesia.*

Isaia c. 60. v. 4. & 5.

*Virtutes sunt viæ ad cælum*

Cornelius hic.

Isa. c. 9. v. 3.

florabat sanctorum Episcoporum abundantia, redundabat fragrantia beatorum Confessorum, & Virginum, innatabat sanctorum Martyrum fecundo sanguini, et modo via Sion lugent raritatem sanctorum in Ecclesia.

Nam (ut præteream magnum hæreticorum numerum, qui magnas & vastas possident regiones & regna, nullamque veram, ac supernaturalem tenent virtutem, sed aliquas tantum naturales politico colore, & splendore deauratas, etiam vera & sancta Ecclesia deplorat, quod non sit justus, & diligens Deum, non quidem quod absolute nullus omnino sit, sed rarus, respectu temporis primitivi.

Vide Bel-  
larm. tom  
1. l. 4. c.  
83.

Apud se-  
ctarios  
nulli.

Nec ideo cessat Ecclesia Catholica Romana esse sancta, quæ à suis incunabilis in hunc usque diem non solum habuit doctrinam sanctam, & efficacem, sed etiam doctores sanctos, & viros signorum gloria clarissimos, uti per omnia successivè sæcula accuratissime probare ac tales fideles & sanctitate, & miraculis post obitum, & etiamnum hodie in vita claros nominare licet, cum è contra apud sectarios, sicut eorum doctrina non ab Apostolicis, & sanctæ, sed lascivæ, & dissolutæ vitæ auctoribus cœpit,

ita nulla etiamnum sanctitas reperiri potest; licet ergo deplorat Ecclesia nostra Catholica, quod in ea plurimi sint mali, hæc tamen adhuc apud sectarios est differentia, quod ex illis nullus omnino sit bonus, & sanctus. Non ergo omnem omnino absolute sanctorum defectum deplorat Ecclesia, sed raritatem, unde cum Michæa exclamat: *Væ mihi quia factus sum, sicut que colligit in autumno racemos vindemiæ, non est bonus ad comedendum, &c.* Deplorat enim Propheta (ait Cornelius aut potius Spiritus sanctus) ac in proposito nostro S. Mater Ecclesia) raritatem virorum proborum, eamque suam æstimat miseriam.

Mich c. 1.  
Sancti si-  
est bonus ad  
plorat enim  
lius aut potius  
in proposito  
borum, eamque  
racemos.

Licet autem etiamnum moderno tempore viros probos, ac sanctos reperire sit, hi tamen antiquis illis, ac magnis Dei servis comparari nequeunt, hoc modernus, quamvis verè sanctus Thomas de Villa nova humiliter deplorat his verbis: *Ut Martyres omittamus, ubi nunc unus Nicolaus? unus Augustinus? unus Hieronymus, vel Ambrosius, quem populo Dei videndum obiciamus? Jam non est sanctus, jam non Propheta. Jam nos non cognoscat gregem deformem, nihil penitus pulchritudinis, aut varietatis habentem? Hodie si quis non furatur, si quis non adulteratur, si quis non per-*

IV.

S. Thom.  
Villan.  
Con. de  
Nicol.

Sanctitas  
moderna,  
quasi in-  
tium nega-  
tiva.

petrator

petrator est criminum, sanctus ha-  
berur. Illos optimos reputamus,  
quos olim velut tepidos evomeret ac-  
curata perfectio. Exilem, atque  
tenuem virtutum fabricam hodie  
magnificant, qui templa illa Spiritus  
sancti splendida non noverunt. Sic  
enim etiam in adificatione templi  
contigit, ut lacantibus junioribus,  
qui amplissimum Salamonis templum  
non viderant, qui viderant senes, la-  
mentarentur, quia fabrica antiqua  
dissimilis nova surgebat, & quasi pro  
nihil videbatur ad illam.

Observat idem sanctus, quod  
populo, terrae promissionis ap-  
propinquante, Moyses explo-  
ratores miserit, qui mira retu-  
lerunt de terrae illius potenti-  
bus incolis. Vidimus monstra  
quaedam filiorum Enac, de genere  
giganteo, quibus comparati, quasi  
locustae videbamur. Versamur hic  
quali peregrini & exules in de-  
serto huius saeculi, anhelantes  
ad supernam illam promissionis  
terram, ad quam, tanquam explora-  
tores, praedicatores per contem-  
plationem debent praecedere, &  
supernorum illorum civium  
gloriam, ac sanctitatem nobis  
nunciare. Qui ergo (affirmat  
praefatus antistes Valentinus)  
ascenderit, & merita sanctorum, qui  
ibi morantur, vobis narraverit, quid  
aliud potest dicere, nisi, vidimus  
monstra quaedam bonitatis, & san-  
ctitatis, gigantes potentissimos opere  
& sermone. Quibus comparati nos,

qui aliquid esse videmur in populo,  
quasi locustae videbamur. *Compara Antiquis*  
doctores, praedicatores nostri tempo-  
ris ad S. Augustinum, Hieronymum, *sanctus*  
ambrosium, quid sunt nisi locustae? *compara-*  
*ti.*  
Compara Religiosos ad S. Benedictum,  
Franciscum, Bernardum, Domini-  
cum, quid sunt nisi locustae?

Et tamen nos locustae, nos  
magnum subinde reputamus, ac  
sanctorum fundatorum ac Pa-  
triarcharum aemulos, dum in  
eorum vestigia regendis eorum  
familiis succedimus, cum tamē  
(pro dolor) tales simus, quos  
olim tepidos, evomeret accura-  
ta perfectio, ac stricta funda-  
toris observantia Regularis.

Si modò de Religiosis & Ec-  
clesiasticis ad populum tran-  
seas, eadem nobis apparebit  
improportio, uti ulterius me-  
moratus sanctus Villanova ob-  
servat, *Compara Christianum po-*  
*populum ad illum populum, locustae*  
*videbuntur. Unde auditae eorum*  
*magnitudine merito populus turba-*  
*tur, & confunditur; merito igitur*  
*luget Ecclesia, & via Sion*  
*lugent, eò quod non sint, qui*  
*veniant ad solemnitatem affe-*  
*ctus, & plenae sanctitatis.*

Et planè si per omnes Eccle-  
siae status discurramus, invenie-  
mus, quod declinat jam dies ac  
advesperascit, ac rariores sint,  
qui viam Sion & Sanctitatis  
cum fervore Spiritus terant.  
Et siquidem cum Jeremia à san-  
ctua-

Thren. c. 1. v. 4. *Quatuor incipiamus, invenimus, ut plurimum, Sacerdotes*

*ejus gementes, per quos non tam presbyteros Clericos, quam nos Religiosos, & ipsos etiam antiistites & Prælatos intelligere licet. Sed nunquid lugere & non potius gaudere debet Ecclesia, quod Sacerdotes suos inveniatur gementes? Quid enim magis nobis sacerdotibus & Religiosis, quam, gemitus & fletus convenit? quibus fletus præscribitur per Joëlem: Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo. Si unquam flendi tempus nobis fuit, planè modò est in tantis Ecclesie & patrie angustis, & afflictionibus, in quibus Sacerdotes (uti bene notat Interlinearis) debent flere cum flentibus, & alios ad fletum movere. Affirmat etiam Baronius tantam olim lacrymarum abundantiam inter SS. Missæ Sacrificium effudisse Sacerdotes, ut iis abstergendis linteolum sinistro brachio appendere solerent, in cuius locum hodieque Sacerdotes Manipulum (uti vocant) portent, quem laevo brachio applicantibus hæc verba recitanda præscribuntur: Merear Domine portare manipulum fletus, & Doloris, &c. Si igitur planctus & gemitus Sacerdotem decent, quare modo Ecclesia per Jeremiã*

*deplorat Sacerdotes suos gementes?*

*Ponderosè ad hoc respondet s. Bonav. Doctor meus Seraphicus, fletu hinc hunc & gemitum Ecclesie gravem ac molestum, intelligendum esse Allegorice: dum non jam Ecclesie pro peccatis, sed gemunt præ magnitudine curarum, & inquietatione divitiarum, que sunt spina pungentes, & gemitum provocantes, de quibus bene illud patientis Prophetæ intelligi possit, Gigantes gemunt sub aquis. Illi scilicet, qui quasi gigantes orbem portare, & mundum vitiis aggravatum, ne rueret, vindicante ira divina, sustentare suis precibus, & gemitibus deberent, ipsimet aquis curarum temporalium oppressi gemunt, ac succumbunt, Petrus non sic (addit Seraphicus) sed super aquas ambulavit, opem omnipotentis sui Magistri in hunc finem implorans: Domine situes: iube me ad te venire super aquas: nam vir Religiosus, & Deo dicatus non se mergit aquis, sed calcat aquas, id est, divitias temporales, ait Hugo. Sed periculosum valde est, & singularis miraculi privilegiu, ita super has aquas ambulare, ut subinde in iis non mergatur, quare talis cum Petro clamet, necesse est: Domine salvum me fac. Notat Seraph. noster Ullissiponensis, quod in creatione mundi Spiritus Domini fe-*

*Gemitus decet Sacerdotes.*

*Joël c. 2. v. 17.*

*Glossa Interl.*

*Manipulus quid sitare manipulum fletus, & Doloris, &c. significet?*

*Math. c. 14. v. 28.*

*Hugo Card. hic*

*S. Anton. Pad. in expositione mystica.*

*reba-*

ebatur super aquas, quod mysticè sic ad nostrum propositum exponit: *Spiritus, id est, anima, quæ Spiritum amoris jam concepit, scribitur super aquas, id est, super temporalia.*

Divitia  
Ecclesie  
sancti  
tem  
mer-  
gue

Deut. c.  
32. v. 15.

Glossa  
moralis  
Inficiunt

Idem re-  
fert Hugo  
interem.  
c. 9. v. 11.  
& Gen. 20  
v. 16.

Hæ aquæ non affluebant primitivæ Ecclesiæ, quæ apparebat arida, inanis & vacua per paupertatem, sed à Constantino magno ad fidem converso magnis redditibus, ac dominiis dotata Ecclesiæ, affluere cœperunt divitiæ, & pinguescere beneficia, & Prælaturæ, sub quorum pondere gemere cœperunt gigantes, & quasi sub aquis mergi cœpit spiritus ferventis amoris, *incrassatus scilicet & impinguatus per superabundantiam bonorum temporalium, ubi ulterius testatur glossa moralis ex Magistro Henrico de Gandavo: Quando Constantinus dedit Ecclesiæ bona temporalia, vox fertur audita fuisse: Hodie cecidit venenum in Ecclesia Dei, quo scilicet sanctitatis radix infecta, Spiritum amoris refrigeravit, & in aquis passim superabundantium bonorum temporalium submersit, ut magna ex parte Gigantes gement sub aquis: Sacerdotes ejus gementes!*

VI.

Virgines  
inculta.

Si modò a statu Clericorum, & Religiosorum, ac Præsulum progrediamur in Ecclesia Dei ad statum sæcularium, non minus vias Sion virtutum lugentes depræhendemus, eò quòd

non sint, qui veniant ad solemnitatem, & pro adventu Sponsi sanctitatis decore se exornent.

Ac imprimis occurrunt *Virgines* <sup>Bonav.</sup> *ejus squalidæ, vel (uti Bonaventura glossatur) incultæ.* Non Thren. c. videtur moderno tempore Ec-<sup>1. v. 4.</sup> clesia conquerendi causam habere super Virgines squalidas & incultas, si unquam mundus muliebris, moderno planè tempore observatur à virginibus. *Æmulantur pompam & luxum, si non superant, Romanæ juventutis, confundunt vestium apparatu filias Sion inclytas, student luxui, & ad inventionibus novitatum, auro & argento, purpurâ, & bysso procedunt circumornatæ, ut similitudo templi; Psal. 143.* quid ergo squalidas, quid incul-<sup>v. 14.</sup> tas virgines suas deplorat Ecclesia?

Nò quoad  
vestes.

Lyrano virgines squalidæ dicuntur *deformatæ ex fame & labore.* <sup>Lyranus hic.</sup> Sed neque de hoc querela Ecclesiæ est de virginibus modernis, non enim virgines <sup>Non de-  
formatæ  
ex fame.</sup> nobiles, & potentes jejuniis macilentos, aut pallidos gerunt vultus, cerussâ potiùs eos depicturæ. Multò minùs squalidæ & exhaustæ sunt laboribus, fusum erubescunt apprehendere manus earum, acum vix, nisi subinde ad pingendum, attingunt, imò discriminandis <sup>Aut la-  
bore.</sup> crinibus, & ad legem capillis ordinandis ita speculo iudice occu-

*Sed nudis  
sunt inho-  
m. stati.*

*Baruch. c.  
6. v. 20.*

**VII.**

*Ubi sancti  
Aulici?*

occupata sint, ut nec brachiis, unicus Sebastianus, Georgius, *Vbi mili-*  
nec collo, nec pectori, tegendo, aut Martinus, qui dimidiata cum *tes?*  
tempus ipsis suppetat, seminu- mendico chlamydem partiatur,  
do pectore in publicum proce- & non potius indusium cum  
dentes, discalceatarum utique pelle pauperculo detrahat? Ubi *Vbi rusti-*  
reformationem etiam facile su- simplices & sancti Isidori, rusti- *ci!*  
scepturae, modò inveniretur, ci? qui sorte sua contenti, do-  
quæ nudipes reformationi ini- minis suis obediant, tanquam  
tium facere attentaret, nec er- potestati à Deo data? Ubi Re- *Vbi Reges*  
go labore, nec fame squalida ges sancti? ubi Ludovici, Ca-  
sunt virgines, & matronæ mo- roli conquirendæ tantum terræ  
dernæ, etiam ad solemnitates, sanctæ, & fundendo immaniam  
& chorearum frequentiam pro- Saracenorum sanguini, inten-  
perare non derectant, sed hoc ti? Ubi Juones, & Iudices pu-  
de illis conqueritur, & plangit pillorum & viduarum causis  
Ecclesia, quòd interior illis de- devoti? Viæ Sion lugent, eò  
sit ornatus virtutum, & exter- quòd non sint! *Perijt planè san-*  
na compositio honestatis, & *ctus de terra, & rectus in hominibus* *Mich. c. 2.*  
quòd non veniant per viam Si- *non est.* Exemplificat Michæas  
on, id est virtutum ad nuptias *propositionem suam; Omnes in Vbi Prin-*  
agni, sed totæ vanitatibus in- *sanguinem insidiantur; vir. fratrem cipes?*  
rentæ Babylonicam sapiant pro- *suum. ad mortem venatur; malum.*  
stitutionem quantum exorna- *manuum: suarum dicunt bonum.*  
tæ foris mundo muliebri, tan- *Princeps postulat, exactiones, glos-* *Lyranus.*  
tum squalidæ intus à fumo con- *fatur moralis, & iterum Lyra-* *hic.*  
cupiscentiæ, qui in domo fit. *nus; Levare extorsionem à subditis.*  
Et siquidem de statu in sta- Adhuc plenius explicat Corne- *Vbi Judi-*  
tum progrediamur in Ecclesia, lius: *Princeps postulat à Iudice sibi*  
experiemur undique, quòd viæ *adjudicari iniqua tributa, bona, vel* *ces?*  
Sion, viæ virtutum (eò quòd *vitam innocentium, similem ve rem-*  
non sint, qui veniant ad solè- *impiam, & injustam.* Et quid  
nitatem.) lugeamus. Si sub- *Judex? In reddendo est,* ait Pro- *Cornelius*  
intremus aulæ principum, ubi *pheta, versio hebræa legit: Ju-* *dex pro retributione; scilicet judicat, hic.*  
Nereos & Achilleos; ubi Joan- *annectit Cornelius. Verbo*  
nes & Paulos aulicam vitam *concludit Propheta: Quis opti-*  
sanctitati copulantes reperie- *mus in eis est, quasi paliurus, & qui*  
mus? Numerabat olim Eccle- *rectus, quasi spina de sepe.* Idem  
sia Legiones integras sancto- *sentire videtur de mortalium*  
rum militum, sed ubi nunc *licen-*



Psal. 1. 4. Omnes declinaverunt, simul inuites facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quem Psal- mista planctum etiamnum in Ecclesia Dei perseverare affir- mat devotus noster Franc. Tielmanus: *Tanta est enim (ait) malorum copia, ut vix ullus videatur numerus iustorum, si cum illorum conferatur immensa multitudo. Et ex ijs ipsis, qui bonum facere videntur, vix unus est, qui solum, ac semper faciat, quod bonum est: qui non frequenter admodum declinet ad malum, qui non subinde agat aliquid, quod sit minus rectum, quandoquidem in multis offendimus omnes. Et siquidem paucitatem bonorum à malorum multitudo separemus, non aliter comparebunt illi, quomodo si pauca oliva, quae remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi cum fuerit finita vindemia. Eadem ferme Isaia metaphora utitur Micheas citato capite: *Va mihi! quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae; non est botrus ad comedendum.**

VIII.

Cornelius hic.

Diabolus v. ndemi- ator.

Merito indignatur Deus, & iuste commovetur, dum in Ecclesiae vinea experitur diabolo vindemiam tribui, utpote qui uvae omnes colligat, ideoque plena habeat torcularia uvis & vino, sibi vero tantummodo ascribi racemationem, (ut ita cum Cornelio loquar) utpote qui paucos à diabolo relictos, quia ejus oculos, manusque fu-  
 P. Franc. Iosephi Op. IV.

gerunt, colligat. Maxima enim pars hominum diabolo ser- vit, ejusque fit esca & praeda, exigua vero cedit Christo; mul- ti enim sunt vocati, pauci vero electi. Diabolo ergo cedunt illi mag- ni botri, & plurimi, ut vinde- miatori, Christo, non nisi reli- quia, pauci & pauperuli, si- cut Racematori; quasi dicat, Christo non superest botri, & vix pauculi acini, & granula pauca, quae botri nomen non merentur; botri enim illi magni, & pin- gues, vulpium partes facti sunt. Et sic inimici eius locupletati sunt. Quocirca bene advertit memo- ratus Expositor, quod Doctor, & Concionator si post multos docendi, & concionandi annos & labores, paucos convertat, non miretur, non enim melior est Michaa, non Christo. Sor- te ergo illorum contentus sit, & à Deo plenam, imò plenio- rem expectet mercedem; Deus enim non fructum, sed labo- rem remunerat, qui sine fructu major, & molestior est, eaque ratione majus praemium meretur.

Interim tamen amarè plan- gere & plorare non cessat meri- to afflicta, & quasi vidua Ma- ter Ecclesia, & via virtutum desolatae cum ea lugent, dum non sunt, vel saltem pauci sunt, qui veniant ad solemnitatem. Age ergo, o Anima, revertere à viis tuis pessimis! Quid tibi vis,

Math. 20. v. 16. Christus Racemator.

Thren. 1. v. 5.

Jerem. 2. v. 18. in via.

in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Ingredere vias Sion, *Prov. c. 3.* viam virtutis, & sanctitatis, via enim ejus pulchra: Exulta & ut gigas ad hanc currendam viam, festina ad solemnitatem celestis Jerusalem, *Isa. c. 33. v. 10.* respice Sion civitatem solemnitatis nostræ, ad eam curre per viam virtutum, & sanctitatis, digna enim est, pro qua curramus & laboremus, in ea post modicos labores magnam & æternam inventuri requiem, Amen.



## DISCVRSVS VIII.

*Daleth*

Omnes portæ ejus destructæ, Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine. *v. 4.*

### DE ANIMA.

*Intrans per portas sensuum externorum inimici, qui Animam devastant, & squalore replent.*

**C**astrum, seu fortalium, quod ad conspectum vicini hostis situm est, vel actualiter hostili obsidione cinctum, cautè custodiendum, maximè autem observandæ, & claudendæ de nocte portæ, quibus reclusis, aut dejectis, facilè in potestatem hostis castrum devenerit, licet aliàs optimè aggeribus, & muris munitum, & circumdatum. Optimè observat *S. Vincent Ferr. serm. 2. in Sept.* *Corpus, ad instar Castri, consistit in medio inimicorum, in quo Deus mittit spiritum, tanquam militem, ad custodiendum, ne per portas sensuum corporalium intrent inimici. Nam hisce effractis portis, facilè intrat*

*Corpus est Castrum*

erat hostis ad urbem spoliandam; iisque destructis aut exustis, nulla securitatis spes concipi potest, donec reparentur. Hinc in devastatione Jerusalem Civitatis sanctæ, sumopere portarum ruinam deplorat Prophetas; *Omnes portæ eius destructæ!* Et moraliter quidem Portæ Civitatis sanctæ, & Deo consecratæ, scilicet animæ, sunt *quæque sensus*, uti Hugo testatur; quibus destructis, hosti plenus patet aditus, & extremum imminet exterminium, ut prostrati jaceant *Sacerdotes gementes, id est, Ratio, quæ debet gemere, quæ est per peccatum obscurata, & virgines squalidæ, per gloriam inanem, & ipsa, anima, oppressa amaritudine, id est, peccati.* Ecce quantum in portis sensuum destructis, & apertis periculum.

II. Muris Jerusalem utrunque reparatis, atque extructis, primam habuit curam Neemias portarum civitatis, quibus de nocte claudendis solidos, & fideles adhibuit custodes, quibus etiam serio mandato præcepit: Non aperiuntur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Observat Glossa Ordinaria, merito ob hostium vicinorum pericula portas Jerusalem terris fuisse de nocte clausas, cum tamen de cœlesti illa, & superna civitate Jerusalem testetur in sua Apocalypsi Joannes: Por-

tae ejus non claudentur per diem. At quid de nocte? Nox non erit illis. Unde neque claudendi ratio, nec irruptionis, de die, periculum. Ex hoc deducit glossa, quod etiam tota nocte huius sæculi, Custodes animarum debent vigilantiter agere, ne illis negligentibus, diabolus cohortem fidelium solo nox turbans irrumpat, vel quemlibet perditurus rapiat. Apparente autem sole justitiæ, & clarescente luce beatitudinis futuræ, jam non erit opus claustris continentia, quia nec adversarius dabitur ultra facultas impugnandi, vel tentandi. Unde portæ eius non claudentur per diem, non enim nox erit illis.

Ab allegorico de Ecclesia, ad sensum morale de anima transit glossa moralis, secundum sensum morale Civitas Jerusalem signat animam fidem, Huius autem Civitatis portæ sunt exteriores sensus animi, qui non debent aperi de nocte, id est, ad opera mala peragenda quia sunt opera tenebrarum. Sed portæ prædictæ ad calorem solis sunt aperiende, id est, ad faciendum opera charitativæ. Sed neque hic sollicita vigilantia subsistat, sed ipsam diem, & lucem exactè examinet, an non princeps tenebrarum sub incurso, & demonio meridiano præproperè portas aperiiri suadens, dolosè irrumpat. Quare propter timores nocturnos studiosè portæ sensuum custodiendæ, per quas

F 2: maxi-

Portæ  
quinque  
sensus.

Hugo  
Card. hic

II.

2. Efdrae  
c. 7.

In celo  
per animam  
la. clausæ.

Apoc. 21.  
v. 25.

Glossa  
Ord. hic.

Idè portæ  
claudendæ.

Glossa  
Moral.

Portæ autem  
quæque sensus

maximè hostis ignita sua tela in cordis residentiam immittit, quod bene advertens Mellissus, non intrat (inquit) sagitta diaboli ad interiora mentis, nisi per sensus corporis. Sollicitus admodum in harum portarum custodia erat patiens Propheta: *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Et quis inde fructus? *Ut ne cogitarem quidem de virgine:* Portis enim sensuum externorum bene obseratis, non facile cogitationibus impuris aditus datur. Prudenter ergo & vigilanter has portas custodivit Job, *ut enim cogitationes cordis castè servare posset, fœdus cum oculis pepigit* (uti magnus testatur Gregorius) *ne prius incautè aperiret, quod postmodum invitus amaret.*

III. Quàm cautus in istis portis sensuum custodiendis, fragilitatis suæ sincerus Judex, Job, tam incautus fuerat David, temerarius virium suarum æstimator. Miles exercitatus & cordatus erat David in spiritualibus æquè, ac corporalibus pugnis; ipse provocandis, & irritandis inimicis intentus & ad omnem certaminis occasionem prurienti dextrâ avidus: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Laudanda in milite audacia, & animi fortitudo, sed non temeritas. Execranda & periculosa nimis temeritas est, si mili-

tiæ, & castri præfectus ad eò suæ confidat fortitudini, ut etiam de nocte apertas relinquat hosti portas, hunc irrupturum, aut jam ingressum facilè repulsurus.

Hac temeritate laborabat David, qui jam plenum calorem Justitiæ, & sanctitatis consummatæ splendorem sibi illuxisse ratus, de nullis sibi metuebat noctis, ac tentationis periculis, victoriis clarus. Unde portas sensuum claudere parum curabat, hostem etiam irrumpentem facilè eiekturus. Accidit ergo, ut post sumptas regales epulas somno & otio vacans sub meridiem, apertas hosti, non curaret portas, in solario deambulans, liberum muliebri speciei ad oculos concedendo accessum; *viditque mulierem selavantem.* Meridies erat tunc mundo, neque tentationis tenebras sibi Rex imaginabatur, sed nox erat David, somno & otio animæ gravis & periculosa, dæmonioque meridiano ad tentandum exoptata. Patuit accessus hosti per apertas oculorum portas, & antequam illi repellendo se accingeret, jam cordis castrum occupaverat: *Sic intrat* (ait Bernardus) *sagitta Satanae per ianuas oculorum ad animum.* Et antequam pene ingressum hostis adverteret, jam se ab illo occupatum sentiens, *editio-*

S. Bern.  
lib. de modo  
bene  
vivendi.  
serm. 59.

Job, c. 31.  
v. 1.

Job can-  
tuum.

Greg. l. 21  
mor. c. 2.

David  
presump-  
tuo sus.

Mal. 26.  
v. 6.

1. Reg. II.  
v. 2.

Hostis per  
oculos ad  
animum  
penetrat.

ditionem cordis, consensu, fe-  
 cit. Hostem adhuc extra mu-  
 ros, & à longè credebat David:  
 De longè vidit illam David, in  
 qua captus est, notat Augustinus.

Mulier  
 longè, libi-  
 do prope.

stis de longè fuit? Alia longè  
 ratio cum hoc hoste meridiano:  
*Mulier longè; libido prope*, conclu-  
 dit sanctus Doctor. Mulier  
 dolosus & periculosus hostis  
 est, etsi corpore de longè sit,  
 modò species intret per oculos,  
 jam libido prope est. Captus  
 est David, antequam se obses-  
 sum, aut oppugnatum sciret.

IV.

Psal. 100.  
 v. 3.

Nihil mali intendebat Pro-  
 pheta Regius, sed testatur de  
 seipso: *Perambulabam in innocen-*  
*tia cordis, in medio domus meae, non*  
*proponebam ante oculos meos rem in-*  
*iustam.* Quid est (quærit mag-  
 num Africae lumen) *non propone-*  
*bam ante oculos meos rem iniustam?*

S August.  
 hic.

*Non diligebam.* Ante oculos e-  
 nim habere, quid aliud quàm  
 diligere? ubi enim oculus, ibi  
 cor, & objectum, quod quivis  
 amat, in illud continuo rapiun-  
 tur oculi. Testatur itaque Da-  
 vid, nullum se in animo erga a-  
 dulteram gessisse affectum, sed  
 perambulasse in solarario in in-  
 nocentia cordis sui, nec ante  
 oculos proposuisse rem inju-  
 stam, aut amorem, qui se, ad  
 oculos in adulteram conjicien-  
 dos, urgeret, neque oculorum  
 portas reserasse, ut hostem in-

David  
 nil mali  
 propone-  
 bat.

tromitteret, sed idè irrupisse,  
 quia reseraverit: Attestatur il-  
 li meus Seraphicus, *non quia con-*  
*cupivit, vidit, sed quia vidit, concupi-*  
*vit.* Non ex instituto & indu-  
 striâ actum est: Non propone-  
 bam mihi rem injustam.

S Bonav.  
 in speculo  
 novit.

Si ergo David, qui coram  
 Deo semper sicut in die ad ca-  
 lorem Justitiæ ambulavit in in-  
 nocentia cordis sui, ex animo  
 semper noctis opera & tene-  
 brarum detestans, nihilominus  
 ex incauta oculorum reclusio-  
 ne tam miserabiliter cecidit,  
 quàm temerarij ergo illi cen-  
 sendi sunt, qui tali cordis  
 innocentia ac sanctis proposi-  
 tis muniti non sunt, sed ad ma-  
 lum, & tenebras pronissimi,  
 tota tamen nocte, & vitæ suæ  
 tempore portas hosti semper  
 apertas tenent, non tantum in-  
 cautâ inadvertentia, sed vo-  
 luntaria curiositate, ad species  
 objectorum lubricorum intro-  
 mittendas? Gratis sibi tales  
 promittunt, hostem (qui statim  
 cordis penetralia occupat)  
 levi, & facili labore eiiciendû,  
 eoque ejecto portas cautius  
 posthac claudendas. Serò sapi-  
 unt tales cum Phrygibus; pari  
 enim laborant insipientiæ vitio,  
 qui ostium claudunt, cum præ-  
 da jam avolavit, & illi, qui portas  
 obserant, cum hostis jam teneret  
 cordis regiam, in animæ jugu-  
 lum mox venenata tela conver-  
 surus.

Concupi-  
 vit.

Voluntas  
 ria curio-  
 sitas peri-  
 culosior.

Sero clau-  
 duntur  
 porta ho-  
 ste iam in-  
 tromisso.

13 Narrat

<sup>v.</sup> Narrat Regum Historia Is  
<sup>2. Reg. 4</sup> boserth filium Saulis, infausta  
<sup>v. 5.</sup> quadam die sub meridiem, su-  
 per stratum somno indulsisse, &  
<sup>Isboserth</sup> ne quid incuria deesset, etiam  
<sup>ostiaris.</sup> ostiarum domus, purgantem  
 triticum, obdormisse: hanc oc-  
 casionem commodissimam na-  
 sti duo latrones Rechab, & Baa-  
 na fratres, latenter domum in-  
 gressi, percusserunt eum in in-  
 guine. Casus planè fuit hic  
 lamentabilis, & quem ipse etià  
 David, quamvis hostis, non  
 inultum reliquit. Sed qua tan-  
 ti mali, & casus tam horren-  
 di causa? succinè & nervosè re-  
 spondet Doctor Seraphicus:

*Quia o-  
 stia non  
 erat clau-  
 sa.*

<sup>S. Bonav.</sup> Nonne Isboserth mortuus est quia o-  
<sup>in pl. 100</sup> stia ancilla non bene servavit ostia?  
 Non sufficiebat constitutam  
 fuisse ancillam purgando triti-  
 co, & mundandæ domui, qua  
 magis ostio in vigilare debebat:  
 Nam moraliter loquendo, equi-  
 ritur (prosequitur Bonaventura)  
<sup>Sic anima</sup> Ad hoc, ut aliquis quiescat in  
 domo, quòd intus sit munda, & quod  
 ostium sit clausum.

Multi sibi persuadent, se sa-  
 tis securè dormire in domo  
 conscientia munda, & tutè am-  
 bulare in innocentia cordis sui,  
 sed errant, si enim ancilla ostia-  
 ria, id est, ratio, (qua triticum  
 purgare, & malum à bono discer-  
 nere debet) non vigilanter o-  
 stia sensuum externorum cu-  
 stodiat, subintrant facile latro-

nes animam interfectori, uti  
 contigit incauto, & nimium  
 viribus suis confidenti David.  
 Quapropter optimè moralizat  
 Lyranus, Per hoc, quòd David  
 sanctus & devotus ex impudico aspe-  
 ctu incurrit adulterium; nobis osten-  
 ditur, quanta diligentia debeat adbi-  
 beri in custodia sensus, visus quia dici-  
 tur Thren. 3. Oculi mei depraeda-  
 tus est animam meam: Et idem videtur  
 de custodia aliorum sensuum, Hie-  
 rem. 9. Ascendit mors per fenestras.  
 Sensus enim exteriores, sunt quasi  
 quedam corporis fenestrae, per quas  
 tentationes, quasi latrones ad inte-  
 riora ingrediuntur, bona gratia ra-  
 pientes. Et inde malorum om-  
 nium origo, quia ostiaria ancil-  
 la, non bene observat ostia.

Mala pariter & incuria Para-  
 dyssi ostiaria, erat mater nostra  
 Eva, cui custodiendus fuit cre-  
 ditus Paradysus, ne intrarent  
 Rechab, & Baana, per quos  
 Hugo demonem, & mortem intel-  
 ligit, sed ipsa (pro dolor!)  
 ostiaria portas hisce latronibus  
 aperuit, & intrandi copiam de-  
 dit, dum curiosos mulier ocu-  
 los nimium recluserit. Vidit mu-  
 lier: Vidit quòd bonum esset lignum  
 ad vescendum, & pulchrum oculis  
 aspectuque delectabile. Penetravit,  
 subito tentatio, & illiciti fru-  
 ctus cupido per januas oculo-  
 rum usque ad animum, de ani-  
 mo ad manum, de manu ad os,  
 & tulit de fructu eius, & comedit.

Lyranus  
 in Reg. 11

Thren. 3.  
 v. 51.  
 Jerem. 9.  
 v. 21.

VI.  
 Eva, ma-  
 la ostia-  
 ria.

Gen. c. 3.  
 v. 6.

En.

Periculos  
seducta

En quomodo per fenestras intravere in mundum latrones, mors & diabolus, Rechab, & Baana? O verè incuria vita & salutis non tantum propria, sed etiam omnium posterorum Eva! O incauta ostiaria, quæ oculorum fenestras & ostia tam malè custodivit! Neque enim Eva lignum veritum contigisset (docet Gregorius) nisi hoc incaute conspiceret. Hinc ergo pensandum est, quanto debeamus moderamine erga illicita restringere nos, qui mortaliter vivimus, si Mater viventium per oculos ad mortem venit.

Cum itaque per portas externorum sensuum, & maxime oculorum plerumque accessum attentet hostis, omni custodia custodienda sunt hæc portæ, & præter rationem, quæ ordinaria constituta est portarum harum ostiaria, etiam adjungendus est timor Dei, nam & Neemias Ananiam constituit Civitatis sanctæ Janitorem qui vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur. Timor Dei igitur janitorem agat, & conservandis, claudendisque fideliter portis invigilet. Multum è contra aberrant illi, qui ostiariam oculis suis constituunt concupiscentiam, licentiosa hæc janitrix est, quæ & perversis desiderii corrupta, omnibus facile insidiatoribus de die ac nocte apertas offert sensuum por-

tas. Quid mirum inde, si immundis bestiis, & barbaris vanarum cogitationum, & imaginationum populis plena sit sancta Civitas, anima Deo sacra, & destructis portis gemens, ac squalida, amaritudine, id est, peccatis, repleatur. Ipse Propheta Regius, jam damno suo prudentior, divinam implorat gratiam, quæ rationem, tanquam, ostiariam dirigat, occludendis & custodiendis sensuum portis, avertit oculos meos, ne videant vanitatem, Quia ex aspectu vanitatis provocatur concupiscentia, ut notat Hugo.

Confundebat in hoc puncto Christianos Magnus Alexander, qui ad videndas captivas Persarum faminas, præsertim uxorem & filias Regis Darij, à proceribus suis invitatus, ab hac vanitate oculos avertere elegit, quàm ejus attractivâ virtute corrumpi, experientiâ jam satis edoctus, agrè concupiscentiæ suæ fore victorem, qui oculos à mulierum specie captivari permiserit. Generosè proinde earum aspectum aversatus respondit: Non committam, ut cum viros vicerim, à mulieribus vincar, quasi ex aspectu jam se victum profiteretur, nec mentem à concupiscentia integram censeret, quæ comptæ mulieris venenosam speciè receperit.

Psal. 118:

v. 37.

Hugo

Card.

VII.

Alexan-

der recu-

dit aspici-

ere capti-

vas.

Plutarch.

in Alexan-

dro.

Quod

S. Greg.  
l. 2. mo.  
ral. c. 2.

2. Est r. c.  
7. v. 2.

Janitor  
sit timor  
Dei.

Hugo in  
2. Pet. c.  
3. v. 14.

Mulier,  
Basiliscus.

visa infir-  
mit.

Est Syren

Cornuc.  
M. h. c.  
9. v. 28.

VIII.

Josuec. 2.  
v. 2.

Quod Hugo Carenfis optimè declarat his verbis. Dum eius (id est fœminæ) idolum in oculo interiori recipitur, ad mentem usque suffertur; nisi valde disponatur mens tota, inficitur, & maculatur, unde mirabilis efficacia, & peioris longè, quàm Regulus. Non enim interficit Regulus, nisi cum videt, sed, mirabiliter ista interficiunt, quando videntur. Nonne hoc sensit David, sanctus Propheta Domini, qui ad visum Bersabee in eius concupiscentiam in tantum exarsit? Unde dicit S. Gregorius: Non licet intueri, quod non licet concupiscere.

Hugonis effatum non tantum confirmat, sed etiam ampliat Cornelius de Lapide, asserens Fœminam, visu Basiliscum, voce Syrenem esse. Hæc per portas aurium, ille per visus intrat ostiū; utique claudenda cautè ostia, nam iis per ostia penetrantibus, anima, non jam civitas, sed horridum desertum, immundis bestiis refertum dici poterit, inter quarum immunditias & fœtores squalida sedens anima, amaritudine, & peccatorum fordibus replebitur, maligno insuper hosti in prædam cessura, licet nondum appareat in principio periculum.

Urbem Jericho obsessurus Josue, prius misit exploratores qui consideratâ urbe, & exploratâ, consilia illius capiendæ subministrare possent; hi in-

gressi in domum Raab meretricis, conquirebantur ex mandato Regis; tollensque mulier viros abscondit, eos jam ex urbe egreffos contestata, cum porta clauderetur in tenebris: revera autem ad huc in domo latitabant exploratores, stipulâ lini à meretrice contacti.

Scio equidem mysteriosas expositorum explanationes in hunc passum, tam in sensu allegorico, quàm morali, sed & mihi pauca dicere liceat moraliter. Jericho civitas, quæ interpretatur Luna, peccatricem animum referre mihi videtur, in hanc tentatorem mittit exploratores, lubricas nempe species, & Idola alterius sexus, quæ per portas sensuum in tenebris ingressæ, in domo meretricis, (conscientiâ scilicet animæ peccatricis) delitescunt. Dum verò ea per confessionem detegere, & ejicere jubemur, abscondita sub stipula lini nusquam se produnt, unde facilè nobis persuadet Raab, exploratores istos jam extra civitatem fuisse egreffos, cum portæ sensuum, ingravescente tentationis nocte, tardè nimis, clauderentur, sed latent adhuc exploratores, suo iterum tempore & occasione progressuri, latent simulati, & tecti hostes, tentatori viam, & modum capiendæ animæ ostensuri, quando scilicet fortis

Explora-  
tores ab-  
scossi in  
Jericho.

Sic spe-  
cies pro-  
fana in  
anima.

& so-



& sopita impressio specierum  
reviviscet, & flammæ stipulæ  
injiciet.

Ne ergo anima tanto se obii-  
ciat periculo, usque ad ortum  
& calorem solis sedulo claudat  
portas sensuum, ne se intrudent  
exploratores dolosi; Et cum  
dies non nisi in patria illucesce-  
re nobis incipiat, & nox sit pe-  
riculosa tentationum, quam-  
diu in carne vivimus in hoc  
mundo, semper utique fidelem  
ad portas sensuum janitorem  
adhibere debemus timorem  
Domini, qui portas has claudat,

Ezech. c.  
44. v. 2.  
rioris, de qua Ezechiel testatur,  
quod Dominus mandaverit:  
*Porta hæc clausa erit, & non ape-  
rietur, & vir non transibit per eam:  
eritque clausa Principi, Princeps ipse  
sedeat in ea. Si igitur hæc ra-*

tione observabimus portas Ci-  
vitatis sanctæ Jerusalem, ani-  
mæ nostræ, & in iis solus resi-  
deat Princeps pacis, Deus no-  
ster, immundus utique & in-  
circumcissus non transibit per  
eam, sed immaculatam confer-  
vabimus animam nostram, per  
totam hujus tenebræ vitæ  
noctem, donec illucescat dies  
in superna civitate Jerusalem,  
cujus Lucerna est Agnus; & si-  
quidem hæc portas animæ no-  
stræ fideliter custodierimus, a-  
pertas ibi ad calorem solis inve-  
niemus portas cælestis patriæ,  
quæ non claudentur; per has  
ergo nos mundos ad immacu-  
lati agni nuptias introducere  
dignetur Pater misericordiarum,  
cum Filio & spiritu sancto  
regnat Deus in sæcula sæculo-  
rum, Amen.

